

A D
LECTOREM.

Fecit amor, & cultus in Deiparam meus, ut ad libellum anonymi auctoris confutandum aggrederer, in quo ille contra leges Pontificum Conceptionem innociam in dubium vocat, & omni genere argumentorum confidenter oppugnat. Ejus vero opinionem modo absurdam, & falsam, modo erroneam, pessimeque suspectam non sum veritus appellare, posteaquam piam sententiam omnino veram, certamque esse invidiis rationibus confirmavi. Dicit aliquis, Pium V. prohibuisse, ne quis opinionem, quæ labem affingit Deipara Virgini, erroneam esse pronuntiaret. Equidem fateor. At idem Pius non silentium indixerat, sed copiam fecerat disputandi in Theologorum consessu; non objectum, quod agunt, Ecclesiastici cultus disertis verbis designaverat; non omni populo Christiano Conceptionis Mariae celebritatem lege lata præscripserat: ut proinde mirandum non sit, ab eo cautum fuisse, ne quis alterutram opinionem erroris insimularet. Vidit hoc Alexander VII., cujus gravissimo, amplissimoque decreto cultus objectum est indicatum. Itaque cum eo diplomate tantum roboris adjecisset piæ sententiæ, opinionem contrariam, non erroneam, & falsam, sed impiam, & hereticam vertuit appellari, aut inuri censura peccati mortalis. Nihil ergo me prohibet in tanta luce hujus Mysteriorum opinionem, jacentem, ac propemodum extinctam erroris arguere. Deinde aliud est, censuram inurere falsitatis; aliud, quippiam esse falsum colligere Theologica conclusione. Primum fortasse